



70

Tom. IX.

XVII.

arg. 27

2 D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

JURE GRUTIÆ,

QUASDAM POSITIONES

EXHIBENS,

QUAM

DEO SOLO PRÆSIDE,

EX DECRETO

ILLUSTRIS FACULTATIS

JURIDICÆ

IN ALMA UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOH. ANTONIUS MAUPINOT,

ARGENTINENSIS.

AD DIEM V. MAJII, A. R. S. MDCCL.

H. L. Q. C.

P R I M U M E X C U S A

ARGENTORATI,

Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

DISSERTATIO IN IURIS JURIDICA

JURIS GRUPTIA

GRASSI AMPHIBITIONES

ILLUSTRIS FACULTATIS

JURIDICAE

IN ALMA UNIVERSITATE WITTENBERGENSI

PRO LICENTIA

SEMPER ET HONORIS

ET PRIMUM DOCTORALIA

CONSEQUI

JOHANNIS MATHIASI

ARGENTINENSIS

AD HONORIS

ET

DOCTORALIA

CONSEQUI

ET PRIMUM DOCTORALIA



L. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

DE

JURE GRUTIÆ,
QUASDAM POSITIONES
EXHIBENS.

§. I.



I quæ sunt bono rerum publicarum
necessaria, multumque utilia, in
his certe locum sibi vindicabit
ærarum, pecuniæque publicæ cura.
Docet id rerum usus, & huic appli-
cata ratio, observant facile quilibet prudentes civi-
tatum & Regionum moderatores: Laudant plu-
rimum civilis sapientiæ cultores, affirmat id quo-
que

A 2

que

que prudentissimus imperatoris consiliarius *Lege*
1. §. 20. ff. de Questionibus : & Imperator ipse *Leo*
in lege sua Novella 52. autumantes nimirum id præ-
 stare corpori civili pecuniæ publicæ copiam, quod
 corpori animantium vis atque integritas nervo-
 rum : robur nempe facultatemque & tutandi sese
 suaque adversus iniquitates quorumlibet maligne
 occurrentium, & agendi, gerendi expeditius, quæ-
 cunque vita sunt proficua futura. Huic autem pe-
 cuniæ publicæ augendæ, interserviunt potissimum ve-
 ctigalia *, utpote, quæ maxima inter rerum publi-
 carum lucra merito putantur : titi & commercia,
 quæ faciunt, ut lautior, splendidiorque civium vi-
 ctitandi ratio obtineat ; eorumque augeantur di-
 vitiae : divitibus proinde civibus, Princeps dives
 censetur, cum amplissima colligere queat tributa :
 quæ pro modo viribusque populi indici possunt.
 Verum enim vero quid Vectigalia magis commer-
 ciaque nutrit, quam ipsa licentia, potestasque à
 Principe (cui Jus gratiæ seu rarium *die Floss-Ge-*
rechtigkeit competit) collata, ut ligna in flumine
 publico vel rivulis ex flumine publico derivatis &
 in ipsum refluentibus, possint transvehere subditi ?
 de quo scilicet Jure Gratiæ quaedam hac in disser-
 tatione breviter tractare contendo ; unde sit

* Ve

* Vectigalia sunt tributa, quæ præstantur de rebus, quæ vehuntur, à vehendis mercibus dicta. *L. 1. ff. de Public. & Vect.* dicuntur etiam portoria quatenus in portibus sunt solvenda.

§. II.

Est autem Jus Grutiæ sive ratium regale seu species quædam navigationis, qua in flumine publico, cujusvis generis ligna, usus vel commercii Gratia transvehere licet, Superioritatis Jure vel alio titulo competens. *AHASV. FRITSCH. Man. Jurisprud. public. Lit. G. n. 4. pag. 211.* dicitur I^{mo}. *Regale*: * quod dictum Jus juri fluminum regali sit annexum: adeoque illis competat, qui flumina publica & Jus omnes percipiendi utilitates ac proventus ex iis habent; quemadmodum in Imperio Romano Germanico, Principes ac Status, superioritate territoriali gaudentes; in Galliæ Regno solus Rex noster Potentissimus. II^{do}. *in flumine publico* sive Canali, ut ajunt, ex flumine derivato, & ad idem refluente. III^{to}. *Cujusque generis ligna* vel sint combustioni, vel ædificiis construendis apta. IV^{to}. *Superioritatis jure vel alio titulo competens*, cum nonnunquam inferioribus vel Jure feudi vel ex pacto ac privilegio, vel etiam vicino Principi Jure familiaritatis concedatur.

* Regalia sunt Monarchæ propria in signum Supremæ eminentiæ & Imperii regni sui utilitatem attributa. Suntque vel *Majora*, quæ ad Supremam Principis potestatem, dignitatem, auctoritatem & præminentiam pertinent. E. g. jus condendi Legem: §. *Sed & quod principis placuit. 6. Inst. de Jur. Natura Gent. & Civ.* Jus nobilitandi. Jus erigendi universitates easque confirmandi. Jus eudendi Monetam &c. vel *minora*, quæ ad conservandum & augendum fiscum spectant. Ut 1^{mo}. reditus, qui ex viis publicis dependent: 2^{do}. flumina navigabilia, quatenus nempe omnis utilitas ex decursu fluminum proveniens ad principem, vel cui princeps concessit, pertinet. Ad quod 2^{dum}. *regale minus* pertinet etiam Jus Grutiæ. Et cætera jura regalia tum *Majora*, tum *Minora*, vide in GEORG. SCHULTZEN, *Synopsi Jur. Feud. Cap. 8.*

§. III.

Inde consequitur 1^{mo}, Principes Superioritate territoriali gaudentes ex pacto ac privilegio, permittere posse alteri, ut aquas ex proximo flumine, derivando construat Canalem, cujus ope ligna, vicinas ad urbes commodius transvehere queat. Quemadmodum, Rex noster clementissimus cuidam subdito Alsatiæ A. 1748. die Januarii 26. de optimis providit litteris, ut vocant, patentibus, ut plenam habeat in Superiori Allatia conficiendi

ciendi canalis potestatem; vid. l' arrêt du Conseil d' État du Roy du 26. Janvier 1748. in cujus Arresti extractus fol. 6. sequentia legere licet. Le Roy étant en son Conseil a permis & permet audit Sieur N. de pratiquer & faire construire un Canal séparé de la Riviere de N. &c. & en conséquence de prendre telle quantité d' Eau de lad^e. Riviere, qui luy sera nécessaire; ensemble de Terrain dont il aura besoin, le tout conformément au plan & devis estimatif dressé par le Sieur N. à l' Effet de faire flotter sur ledit Canal &c. & aux charges, clauses & conditions cy après & conformément aux offres portées par sa soumission.

§. IV.

Quid? imo vicini proprietarii fundum, terram justo pretio vendere debent, aut pro certa mercede locare, sive sint prata sive pascuæ, quibus ipsi opus est ad portus conficiendos &c. Quamquam enim regulariter ad res suas vendendas nemo cogi queat, L. 11. C. de Contrab. empt. in eo tamen casu, ubi necessitas exigit, aut publica servadet utilitas, subditi ad eas justo pretio alienandas vel justa mercede locandas, impelli poterunt. Republicæ autem cedere commodo ejusmodi Canales, quibus magna lignorum quantitas, vicinis oppidis

pidis

pidis & civitatibus facillimo, advehi potest negotio, omni sane caret dubio; cum ejusmodi Provincia non tantum paratis postea abundet lignis, sed & cives leviori pretio ea sibi comparare queant. Obstat equidem, per id, quod ex flumine in canalem abtorqueantur aquæ, necessariam ita diminui aquam fluminis, ut molæ ibi existentes versari non valeant. Secundo rates * destruere pisces sicque in eorum, quibus Jus piscandi competit, tendere præjudicium: atqui Privilegium uni Concessum non debet esse detrimento alterius, *L. 2. §. 10. § 16. ff. nequid in loco publico.* Verum, quod attinet diminutionem aquarum, ad versandas molas, necessariarum; tenderet ea utique in præjudicium alterius, præsertim dum amnis alias ex se non adeo undis abundat; Si nimirum semper & absque interstitio transveherentur rates: Princeps vero non aliter traducere ligna concedit, quam si sufficientes adhuc aquæ remaneant flumini. Cætera quæ forsitan occasione lignorum læduntur, aut plane destruuntur, obstrictus est Ratiarius omnia refarcire, damnaque præstare. *Art. 4. § 5. arresti supra citati. addatur ord. du mois de Decembre 1672. Cap. 17. Art. 4.* quodque ita obtinet, ut, licet Princeps suis litteris patentibus clausulam

fulam

sulam *salvo Jure tertii* non subjunxerit, ex æquo tamen & bono subintelligitur: eo quod non censeatur Princeps uni cum alterius injuria concessisse privilegium. *dicta L. 2. §. 10. ff. D. T. nisi expresse contrarium posuerit. d. L. §. 16. ff. D. T.*

* Rates sunt trabes connexæ, Gallice *radeau, train de bois*: Sive, ut festus definit, tigna inter se colligata, quæ per aquas aguntur: sicque rates distinguuntur à lignis scissis ad comburendum aptis, cum ista non colligentur, sed dispersim tantum in Canales mitti soleant, ut commode ad certum usque portum traduci possint, è contra vero rates in maximis agantur fluminibus; & tam combustioni quam ædificiis comparandis inserviunt, prout nimirum utilitas necessitasve hujus vel istius populi exigit.

§. V.

Sed quid? Si quis jam ante per pactum cum Principe quodam factum, rates & ligna agere possit, annonis postvenientibus ratiariis ex pacto & privilegio Principis alterius eodem Jure Gaudentis, ligna transvehere volentibus, prohibere valet? equidem verum est, quod Princeps nemini in præjudicium injuriamve tertii, quidquam concedere præsumatur, id autem in detrimentum tertii concessum esse videatur: eo quod nimirum prior ratiarius ligna non in tanta copia, nec tanto, quanto

B

ven-

vendidisset, pretio, si ratiarii postvenientes non essent, vendere queat; verum enim vero cum potius ea, quæ hic obijciuntur, sint *lucra cessantia* & non *damna emergentia*, proprie in præjudicium eius tendere nemo affirmabit: quod enim, sua viliori pretio vendere debeat ligna, lucrum, quod percipere forsan potuisset, cessat, sed ipsi damnum non emergit, quod solummodo emergere diceretur, si per postvenientes ratiarios aquæ auferentur ei, ut sua ligna transvehere nequeat, aut nimia lignorum transportatio efficeret, ut ipse non sufficientia amplius ligna accipere possit: quæ si non contingant, lucrum solummodo, ut supra meminimus, cessans, nec damnum emergens est. Lucrum autem cessans non facit, ut aliis quisquam idem Jus præsertim à Principe, qui etiam Jus & animum habet transferendi, in eos translatum prohibere valeat. Præsertim cum publica utilitas (quæ est, ut ligna viliori pretio vendantur) privati commodo sit præferenda. *Et sic intelligendi sunt citati paragraphi decimus & decimus sextus, legis secundæ ff. D. T.*

§. VI.

Porro consequens est II^{do}, ut, sive Princeps suum Jus Grutiæ, quod ipsi Jure territoriali competit,

petit,

petit, ipsemet uti velit, sive alteri ex Privilegio, p^{ar}-
 etove concesserit, ut inquam, hæc navigationis
 minoris species commodo tempore, vernali, cum-
 primis wann Flöß-Wasser ist, oder wann die Was-
 ser nicht zu flüttig und zu schwach sind, exercenda
 sit. Sin vero Princeps sibi soli retinuerit, ut præ-
 moneantur subditi per mandata publica, ut flumen
 purgetur, ripæ & molendina contra lignorum im-
 petum præmuniantur. Cum autem hoc sit onus
 subditorum, eorum est, qui ex mandato Principis
 onera ferenda injungunt, ut æqualiter imponant,
 nec uni plus oneris, alteri nihil imponendo præte-
 xant, Tritum illud adagium, *uni fit gratia & alteri
 non injuria*, cum id non procedat in oneribus fe-
 rendis, quoniam uno aut altero subdito liberato,
 alii plus onerentur; sicque ibi uni fieret gratia
 cum alterius injuria contra mandantis Principis in-
 tentionem: proinde tantum, si velis, procedit
 illud adagium in pœnis infligendis: ut unus miles
 qui deseruit militiam, non suspenditur, isti fit gra-
 tia, & alteri qui etiam ob fugam suspenditur non
 fit injuria.

§. VII.

Fluit ex paragraphi secundi explicatione

B 2

III^{tio}.

III^{to}, quod si Princeps alicui rates agere vel ex mera benevolentia vel ex pacto concesserit, ipseque ratiarius detrimenta vicinorum se relaxituum fore, caverit, & vicini nihilominus impediant; quominus is, qui sumptus impendit incredibiles, suum opus inceptum finire valeat, cogendi, imo etiam puniendi sunt, si moniti pergant obesse alterius negotiis: præsertim si non ex commodo, quod perciperent, si negotium non continuaretur, aut detrimento, quod ex continuando opere, timent ipsis futurum, sed ex mera malitia & contumacia sint impedimento. Malitiis enim hominum non est indulgendum, atque quod alii non nocet, mihi autem prodest, ad id compelli poterit. *L. I. §. 4. §. II. ff. de Aqua pluvi. arcend.* Nec fidant ejusmodi malitiosi aliorum negotia jam multo labore sumptibusque immensis incepta impedire volentes, potentiorum advocacioni & patrocinio; cum ipsi cum suis patronis à petito sint ipso Jure rejiciendi. Puto, si prædicti vicini videntes se suis adversariis Jus istud nullatenus prohibere posse suis prætextis Juribus: ea transferant in potentiores, atque cum ipsis in occulto agant, excidant eo ipso Juribus suis, eaque, etiam si iis instructi fuissent, prorsus amittant & potentiores puniantur: Sicut enim
enim

enim cujuscunque modi actiones & potentiorum
 personas deferentes creditores debiti jactura mul-
 ctantur, cum aperta credentium videatur esse vo-
 racitas, qui alios actionum suarum redimunt exa-
 ctiores *L. 2. Cod. ne liceat pot. patro &c.* ita etiam e-
 jusmodi subditorum sive vicinorum proprietario-
 rum, qui malitiæ suæ finem non attingentes cum
 aliis potentioribus etiam principibus in occulto a-
 gunt, ut partes suæ adversæ à jure amoveantur,
 quod pacto, ab eo qui jus & animum habuit trans-
 ferendi, acquisiverunt, voracitas est punienda.

§. VIII.

Aliud plane judicium esset ferendum, si ra-
 tiarius nis stare nolit, quæ promisit: Ex. gr. Si dam-
 na vicinis proprietariis occasione lignorum illata
 præstare renueret, aut prædia ad canalem constru-
 endum necessaria solvere non vellet æquo justo-
 que pretio; tunc utique compelli, adigive nulla-
 tenus posset, ut ipsi prædia vendant & rates trans-
 vehere sinant: id tamen subditi propria authorita-
 te ne faciant, sed judicem adeant competentem, se
 occasione lignorum vel ratiium læsos, proposituri.

Art. 9. supra dicti Arresti. ibi: Les parties qui se
 B 3 *pre-*

prétendront lesés à l'occasion de la Construction du
 nouveau Canal ou du flottage desdits bois, pour-
 ront se pourvoir d'abord devant les juges ordinai-
 res des lieux pour leur dédommagement, à l'effet
 seulement de dresser par lesdits Juges des Procès
 verbaux, l'orsqu'ils en seront requis, des dégra-
 dations, qui se feroient ou auroient été faites &
 des demandes formées à fin de dédommagement,
 pour le fond, des contestations être ensuite porté
 pardevant led. Sieur Juge & y être par luy fait
 droit définitivement & en dernier ressort. &c. Id,
 quod etiam Jurisconsulti antiqui, & Impp. probe
 consideravere, Status scilicet civilis rationem non
 pati, ut quis sibi ipsi jus dicat. L. 13. §. 3. ff. de Usu-
 fruct. L. 14. Cod. de Judæis. L. 13. ff. quod metus cau-
 sa. nisi jus suum amittere & pœnam subire malit,
 d. L. 13. ff. quod met. caus. L. 7. unde vi.

§. IX.

Fluit IV^{to}. , quod si Princeps vicino Principi
 Jus rarium Jure familiaritatis, aus nachbarlichem
 gutem Willen, concedit, non aliter ipsi permit-
 tat, quam sub datione reversalium certo vecti-
 gali ac restitutione damni, gegen Abtrag des
 Scha-

§. B

Schadets : Si vero Princeps, cui hoc Jus concessum Jure familiaritatis, certum vectigal non deponeret, aut damna non restitueret, istud Jus iterum ab ipso revocari posset, nam eo, cui aliquid sub certo modo permissum aut datum, non implente quod promisit, res revocatur.

§. X.

Consequitur tandem & postremo, quod, si omnia præmissa rite observentur regio ubi tale lignorum viget commercium, floreat, ac lautior, splendidiorque civium victitandi ratio obtineat; ærariumque Principis impleatur, tum ob vectigalia, quæ præstari oportet, tum ob ingentes pecuniæ summæ, quas ratiarii cum Principe pacifcentes pro jure scilicet rarium tradere tenentur, ex quibus pecuniis militares postea nutriuntur copiæ, ut resistatur hostibus, per agros & urbes agantur excubiæ; perfruantur item reliqui ordines attributis sibi Saliariis, reparentur muri & urbes denique omnia alia proveniant, quæ communem subditorum concernunt utilitatem; qui, Sapiientissimi cujusdam Principis semper, ut supra §. I. monuimus, debet esse

F I N I S.

Datum der Entleiung bitte hier einstempeln!

| | | |
|--|--|--|
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |

SLUB DRESDEN



3 1015492

7. A. 2552

